

ligitur numerus hic 102. scribenda erit figura 2. sub primo loco, & figura 0. addenda figuris secundi loci, figura vero 1. figuris tertij loci. Vel totus numerus retentus 10. addendus figuris secundi loci, vt colligatur numerus 15. cuius figura 5. sub secundo loco ponatur, & figura 1. figuris tertij loci addatur, &c. Vt utroque enim modo idem semper numerus colligatur. Examinatum autem vides hoc exemplum per abiectiōem 9. de quo examine mox dicemus,

Recte porro feceris, quando sunt multi numeri addendi, si eos in plures classes distribuas, & ex singulis classibus singulas summas colligas. Nam si demum hasce summas in vnā redigas summam, habebis summam ex omnibus datis numeris collectam, vitabisq; molestiam, quæ in tot figuris in vnā summam colligendis necessariò occurrit. Vt si proximum exemplum in quatuor hasce classes par-

Quid faciendum sit, quando multi numeri addendi sunt.

6008	308	108	3009
5009	239	309	209
4009	108	4128	308
<hr/>	<hr/>	<hr/>	<hr/>
15026	655	4545	3526

tiaris, & singularum summas, 15026. 655. 4545. 3526. in vnā summam redigas, efficies summam, 23752. eandem, quam prius colligeramus, vt hic apparet. Perspicuum autem est, hoc posteriori modo non tam facilè errorem posse committi, quam priori, quod in hoc non tot figuræ, quot in illo simul addantur.

23752
Post